UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina Evangelica De Meditatione mortis

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Sent. xvij. Ioan. xiiij. Vado parare vobis locum. xxxvj.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46214

Visual Library

quo vtique denario Vita ſignificatur æterna: ſed multæ manſiones diuerſas meritorum in Vita æterna ſignificant dignitates. 2.Cor.15. *Alia eſt enim gloria ſolis, alia gloria lunæ, alia gloria ſtellarum: ſtella enim à ſtella differt in gloria, ſic & reſurrectio mortuorum: tanquam ſtellæ ſancti diuerſas manſiones, diuerſas claritates, tanquam in cælo ſortiũtur in regno: ſed propter vnum denarium, nullus ſeparatur à regno. Atque ita Deus erit omnia in* 1.Ioan.4. *omnibus: vt quoniam Deus charitas eſt, per charitatem fiat, vt quod habent ſinguli, commune ſit omnibus: ſic enim quiſque etiam ipſe habet, cùm amat in altero, quòd ipſe non habet. Non erit itaque aliqua inuidia imparis claritatis: quoniam regnabit in omnibus vna Charitas.*

SENTENTIA XVII. Ioannis XIIII.

Vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipſum: vt vbi ſum ego, ibi & vos ſitis.

PARACLESIS.

CAPVT XXXVI. Cyrill. in Ioan. lib.9. cap. 31.

INacceſſibile cœlum erat hominibus prius: nec vllus vnquam hominum ante Chriſtum cum ſancto Angelorum conſortio fuit. Hunc aſcenſum nobis poſtea Chriſtus præparauit, & iter fecit carni noſtræ: vt qui propter præuaricationem à facie Dei repulſi ſimus, ad faciem Dei rurſus reduceret. Non ergo abibo, inquit, manſiones paraturus quæ multæ ſunt: ſed viam innouaturus, quam propter peccatum amiſiſtis: vt per eam ad Angelorum cõſortia conſcendere poſſitis. Quod cùm fecero, & ſuperiora inferioribus coniunxero: ac planum iter in ſupernam ciuitatem vobis conſtruxero: iterum veniam regenerationis tempore, et accipiam vos mecum,

vt vbi

vbi ego ſum, & vos ſitis. Hoc rectè intelligens Paulus, ſcripſit: Quia ipſe Dominus in iuſſu in voce archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui in Chriſto reſurgent primùm: deinde nos qui viuimus, qui reſidui ſumus, ſimul cum eis rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aëra: & ſic ſemper cum Dño erimus. 1. Theſ. 4.

SENTENTIA XVIII. Ioannis 14.

Quò ego vado ſcitis, & viam ſcitis.

PARACLESIS.

CAPVT XXXVII. Corn. Ianſenius.

His Chriſti verbis intelligendum eſt, & nos moneri, vt per fidem in Chriſtum ſuperemus omnem turbationem cordis, quam vel aduerſitates huius ſeculi ingerunt, vel admiſſorum peccatorum rememoratio: ſcientes, & quò nos præceſſerit Chriſtus, & viam qua eum ſequi poſſumus, fidelibúſque paratas ab æterno mãſiones in cælo quas Chriſtus ſua pro nobis ad Patrem interpellatione, ſuiq́ſ ſpiritus communicatione nobis parare non ceſſat, venturus ſuo tempore ad nos, & recepturus in æterna tabernacula ſua. Horum cogitatio efficaciſſima eſt, ad pellendam inutilem omnem cordis turbationem. Via autem eſt Chriſtus: & ratione ſuæ Doctrinæ, & ratione ſuæ exemplaris Conuerſationis, & ratione Mortis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis ſuæ: per quæ nobis aſcenſum in cælos meruit & parauit. Hac via, ſicut Chriſtus aſcendit in cælos, etiam nobis eundum eſt: obediendo eius Doctrinæ, imitando eius Exempla, & credendo eum pro nobis mortuum. Porro maniſeſtiſſimè declarat ſe eſſe Viam, cùm ſubiicit: Nemo venit ad Patrem niſi per me: hoc eſt, niſi per meritum Mortis meæ, cuius credendo fiat particeps: & per Doctrinam meam, cui obediat: & per Conuerſationem meam, quam imitetur.

SENTEN-